

1212, maig, 8

Sentència del jutge Bernat d'Albussà, ardiaca de la Selva, en causa entre Jusiana i Raimunda de Montclús sobre el castell de Toralles i la possessió de Setcases.

ASD núm. 78, perg. orig., 275 x 230 mm. Còpia: *Llibre de capbreuacions de Setcases*, núm. 26, ff. 40v-41v.

Hoc est iudicium quod dedit Berengarius de Albuciano, iudex ordinarius Silueque archidiaconus, assidentibus sibi Bemardo de Cilrano¹ et Arnallo de Mercatallo de Balneolis, in causa que uertebatur inter dominam Iusianam et Raimundam de Montecluso, filiam Amaldi de Uillamulorum, Guilielmo Umberto existente procuratore in causa pro ea. Conquerebatur Guilielmus Umberti pro dicta Raimunda de domina Iusiana que detinebat castrum de Toraies et honorem de Septemèasis iniuste, quia dicebat ad Raimundam pertinere ratione Amalli Uillemulorum patris sui. Que omnia sibi restituí postulabat cum fructibus, proposita petitione hereditatis sibi competentis ex testamento patris sui Arnalli Uillemulorum. Ad quod respondit domina Iusiana se non credere dictam Raimundam ibi aliquod ius habere. Allegauit etiam se supradictum honorem titulo possidere quare Raimundus Uillemulorum quondam credebatur ibi ius habere sibi pro duobus milibus aureis pignori obligauerat, cuius obligationis instrumentum se habere profitebatur, unde dictus iudex iudicauit quod dicta Raimunda probaret supradictum honorem sibi competere et ad se pertinere, et domina Iusiana instrumentum obligationis quod se habere profitebatur in iure ostenderet. Ostendit quidem dicta Raimunda testamentum patris sui Arnalli Uillemulorum et sacramentale illius in quo continebatur sicut inferius declaratur; Dimito Raimundo fratri meo meum castrum de Torailles cum omnibus tenedonibus et possessionibus et pertinenciis suis et omnem honorem meum de Septemcasis quem ibi habeo et habere debeo et quecumque habeo a Bisillduno et supra pro quarta parte quam pater meus et suus reliquit ei de honore suo in testamento suo et etiam pro melioracione quam uolo sibi facere. Continebatur etiam in dicto testamento quod si Raimundus filius suus et Bemardus, quos sibi heredes instituerat et eos ad inuicem substituerat, decessissent sine infante masculo et legitimo, eorum hereditas reuerteretur integre Raimundi fratri suo uel filio suo masculo et legitimo, et castrum de Toraliis et honor de Septemcasis reuerteretur Raimunde filie sue. Et domina Iusiana ostendit instrumentum in quo continebatur Raimundum Uillemulorum se a domina Iusiana mille aureos mutuo accepisse et alios mille aureos illi dedisse, pro quibus omnibus castrum de Toraliis et honorem de Septemcasis pignori obligauit. Unde his sub supradicta forma ostensis dixit domina Iusiana quod si numerarentur duo milia aurei super dictum honorem, soluere non contenderet, cui Guilielmus Umberti sic respondit se non deberi teneri soluere quia ex quo Raimundus Uillemulorum agnouit uoluntatem fratris sui et adiuit hereditatem non potuit obligare castrum de Toraliis et honorem de Septemcasis ideo quia res que

subiacent restitutioni proibentur quidem a lege alienari uel pignori obligari. Ex aduerso dicebatur quod saltem quarta porcio potuit obligari, quia Raimundus Uillemulorum non fuit rogatus restituere nisi id solum quod ab Amallo Uillemulorum fuerat ei relictum quod ex tenore testamenti Amalli Uillemulorum colligitur euidenter. Ad quem quartonem Raimundo de Montecluso competentem Guilielmus Umberti ostendit testamentum Raimundi Uillemulorum, in quo continebatur castrum de Toraliis et honorem de Septemcasis illi Raimunde reliquisse, et sic nitebatur plena iure totum supradictum honorem ad se pertinere. Item domina Iusiana uolens obicere peremptoriam excepcionem, dixit quod domina Raimunda et Guilielmus Umberti diffinierant condam honorem supradictum heredibus Raimundi Uillemulorum et suplicabat iudici exhibicionem instrumenti diffinicionis fieri, si quod factum fuerat, quod Guilielmus Umberti negauit et Iusiane probare adiudicauit, qua in probacione defficiente Guilielmo Umberti iusiurandum detulit, qui per quondam militem scilicet per Ferrarium de Brugariis se talem diffinitionem inde fecisse ipse nec (*sic*) domina Raimunda iurauit. Et inde est quod auditis allegacionibus utriusque partis, testamentis et instrumentis seu rationibus hinc inde diligenter inspectis, dictus iudex iudicauit tres partes castri de Toraliis cum pertinenciis suis et honoris de Septemcasis a Raimundo Uillemulorum alienari uel pignori obligare non posse, in quarta uero parte pignus indubitanter iudicauit tenere, quam quartam partem ex testamento Raimundi Uillemulorum Raimunde de Montecluso et procuratori suo perpetuo adiudicauit saluo iure pignoris, alie uero tres partes ex testamento Arnalli de Uillemulorum dicte Raimunde perpetuo adiudicauit, non obstante pignoris obligacione, et sic dominam Iusianam condempnauit et Raimundam et Guilielmum Umberti absoluit.

Actum est hoc .vm. idus madii anno Domini .MCCXII.

(*s. man.*) Berengarius de Albuziano iudex ordinarius Silueque archidiaconus. (*s. man.*) Arnallus de Merchatallo.

Petrus monachus qui hoc scripsit, die annoque (*s. man.*) prefixis.

l. *Text*: Cilitano.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 187-189